men. Barbara precore est et te reliqui salutant. Mihi quanta potes animi
pietate coniugem tuam amplectere, et meis meraque uxoris verbis illi placidum et
in DEO quietum Spiritum precare. Tum autem Carolum et Johannem cum suis
uxoribus meis cognatis diligenter saluta, quos miror nihil ad me literarum dedisse.
Iterum vale. Duisburgi 4. Octob. 1561.

Vester

Johannes Molanus.

Nr. 105) Gerardo Stedingo Wilebergae. Pax Christi

[= Mscr. a. 12: Nr. 25]

Quamvis res nostra non ferant eam literarum reciprocationem, quae Bremae
nuper inter nos fuerat iucundissima, idemque charissime Stedinge. Tamen
non ita prorsus intermittenda est salutaris consuetudo ut amissa aut etiam abiecta
videri possit. Scio quam ex animo te dilexerim, iam annis 6 vel 7. nec
debes cogitare meo in te amori vel decessisse quicquam, vel decessurum esse. Postu-
lat vicissim meus candor, ut me esse eo apud te credam loco quem obtinebam
Bremae iis annis quibus aliquid auxilii ex me tuis studiis esse posse credidis-
ti. Non sunt causae amoris mutui inter nos commemorandae ex meo animo
iudico altius eas tibi insedisse, quam ut debilitari queant vetustate. Tantum colite-
mus quibus possumus flabellis eum inter nos affectum, quem inter nos expedit quam arden-
tissimum esse. Non longum est quod mihi ad vitam huius exitum superest. Dum ad-
sum velim me qualicumque amico pro tuo arbitratu uti. Hic adolescens qui istuc de-
fert ad te, tui simillimus est, hoc est placidus, suas res quiete agens, valde amans stu-
dia et sinceram pietatem. Eum ut peregrinum mihi propter ingenium et mores
egregie charum velim te vel mei respectu, vel quia te dignum est, officio aliquo
pietatis demereri, scilicet ut hospitium aliquod in hyemem inveniat bona fide
est. non commendarem tibi eum nisi spectata nobis eius integritas esset. Plura
nunc non possum. Meae res sunt (ut solent) humiles et in solicitudine, ora pro
me mutuum hoc facturus. Vale Cal. Novemb. 1561. Vetus amicus et

Duisburgi. Frater

Johannes Molanus.

Nr. 106) Testimonium Joh. Ercii. Pax Christi

[= Mscr. a. 12: Nr. 26]

Tanta est nunc ferocia eorum qui studiis humanitatis destinatur. Imo vero tantus
est numerus sub praetextu artium honestiorum, otio, inertiae et voluptatibus obse-
quentium, ut si quem forte nactus sis, qui hoc agat, qui frugi sit, qui in rem incumbat
gloriari merito possis te Halcyonem vidisse. Quamobrem si antehac unquam, nunc
certe non iustum modo sed etiam necessarium officium est, ut propter decus tam ra-
rae virtutis et propter contagiorum pericula, adolescentes qui suum studium et mo-
rum sanctimoniam suis Magistris probarunt, nec maligna nec affectato, sed merito

vera-